



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 5. Bavariae Ducis Theologus ibidem perorans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

bant, & Foreri sententiam rejiciebant, ^{Sæcul. XVI.}
 non illam quidem damnaturi, sed ex- ^{A.C. 1562.}
 plicaturi: quam in rem triduo post sci-
 licet die vigesima septima Julii Mel-
 chior Cornelius Theologus a Lusitano
 Rege missus perdoctam habuit disserta-
 tionem, in qua demonstratum ibat, quod
 testimonium Malachiæ ita intelligere-
 tur a secundo Concilio Nicæno, Actio-
 ne quarta, ut Christus, cum esset Sacer-
 dos secundum Ordinem Melchisedech,
 panem, & vinum immolare debuisset;
 cumque idem Apostolis dixisset: *Hoc*
facite, ipsis proinde legem imposuisset,
 ut panem, ac vinum immolarent: porro
 hæc sua dicta idem Theologus Lusita-
 nus fusius explicans cum ingenti erudi-
 tione comprobabat.

§. V.

Bavariæ Ducis Theologus ibidem
perorans.

Die vigesima octava Julii Joannes Ca- *Sarpinus*
 villonius Jesuita natione Flander *p. 233.*

Ducis Bavariæ Theologus circa primos
 articulos magna cum perspicuitate, tan-
 quam nulla difficultate implicitos dis-
 feruit, orationemque suam non ad ex-
 aminis, aut discussionis formam, sed po-
 tius ad ciendos pietatis affectus instru-
 xit, hunc in modum exorsus. „ Ab A-
 „postolorum ætate ad Lutherum usque

Sæcul. XVI. „nemo de his articulis controversiam
 A. C. 1562. „movit, testesque sunt Liturgiæ D. Jaco-
 „bi, D. Marci, Basili, & Chrysofomi.
 „Insuper ea, quæ Protestantes objiciunt,
 „satis, superque quidem refutata sunt,
 „sed ad eorum vanitatem coarguendam
 „hoc unum sufficeret, quod ab homini-
 „bus proficiscantur ab Ecclesiæ com-
 „munionem segregatis.„ His præmissis
 Legatos hortabatur, ne in quacunque
 materia patiantur hæreticorum argu-
 menta in medium proferri, nisi simul
 manifestissima eorundem confutatio sub-
 jiciatur, cum vera pietas flagitaret,
 ut rationes cum Ecclesiæ doctrina pu-
 gnantes non proferantur, nisi præpara-
 tis antea auditorum animis, atque ex-
 posita perversitate, ac ignorantia No-
 vatorum, quorum rationibus nemo fe-
 re aures præbet, nisi qui cerebro la-
 borat.

Hæc oratio a majori parte Præsu-
 lum benignis fuit auribus accepta, &
 laudata tanquam pia, & apprime ca-
 tholica.

§. VI.

*Alia oratio cujusdam Religiosi
 Dominicani.*

Inter Theologos, qui circa sex hosce
 articulos differebant, haud infimus
 erat Antonius Grosuptus Viglebanensis
 Episco-